

Adolfus Dei gracia Romanorum rex semper augustus universis sacri Romani imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum.

Tociens regie celsitudinis ceptum extolitur alcus^a et status solidius sublimatur, quociens fidelium devotorum nota begnino recipiuntur affectu et [ad]^b ipsorum commoditates a[u]gendas graciosam protectionem principis invenitur. Cum enim omnis gloria sive potencia principatus in subditorum precipue consistat solidata fortunis, expediens arbitramur et congruum, ut simus nostris et imperii fidelibus in iusticia faciles et in gracia liberales. Hinc est quod nos ad grate devocionis obsequia, que honesti cives Bisuntini nobis et imperio exhibent et inantea exhibere poterunt^c graciosiora, nostre serenitatis intuitum [convertentes]^b, ipsis et civitati Bisuntine subscripta de gracia regia duximus concedenda:

(1) Primo videlicet quod ipsa civitas et cives civitatis eiusdem exnunc habeant nostram gratiam et favorem ac eisdem suam malivolenciam, si quam incurrerunt ignoscimus mero corde, sententiam proscriptionis, si qua lata extitit contra ipsos occasione quacunque per nos et predecessores nostros, nichillominus revocantes et eandem revocatam publice nunciantes.

(2) Item recognoscimus ac eciam profitemur, quod ipsa universitas cives civitatis predictae necnon habitantes in ea sunt et esse debent per vim^d suarum libertatum tantummodo subdicti, nullo existente medio, imperatorie maiestati.

3. Item presentibus profitemur, quod status monete Bisuntine non potest nec mutari debet vel aliquo tempore per aliquem variari, sed semper stare debet in suo recto pondere necnon in suo iusto alligamento. Quod alligamentum est trium denariorum cum obolo ipsius monete Bisuntine, ipsum vero rectum pondus est septem et decem solidorum et quatuor denariorum ad marcam de Colonia. Nec extra civitatem Bisuntinam ipsa moneta potest aliquo modo fabricari.

4. Item dicti cives Bisuntini habent et habere debent custodiam clavium portarum et introit[u]m civitatis Bisuntine, qui nunc sunt vel esse poterunt in futurum.

1) 'arcus' Tr. b) Fehlt Tr. c) 'potuerunt' Tr. d) 'vin' Tr.

kunde beruht auf dem Friedensinstrument von 1290 Juni 3 (Constitut. III, 430 n. 450. 451), zeigt jedoch verschiedene Abweichungen, was später die Ausgabe in den Constitutiones darlegen wird.